



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniæ, 1709**

§.4. Jactura gloriæ cœlestis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](#)

## DE TIMORE DOMINI.

27

utrumque committe , IGNEM ÆTERNUM . *Ignem*, nil gravius : *Æternum*, nil longius. *Ignem*, quo animus , quo corpus , membra , oculi , viscera , præcordia , omnia torrentur. *Æternum*, cui meta Deus , & homo , qui cruciatur. *Ignem*, qui cesset nunquam. *Æternum*, qui nunquam finiatur. *Ignem* , cui noster ignis collatus sit fumus. *Æternum* , cui vita nostra comparata sit puncto minor. IGNEM ÆTERNUM denique. Hoc est uri, uri, uri , & semper uri. Hoc unum in inferno vocabulum, una hæc actio , uri. Fallor. Una hæc passio. Manè serò, nocte dieque. Fallor, die. Nocte perpetuâ. Credis hoc ? fide certum est. Credis , inquam? tu credis? ergo evici , ut nunquam pecces. *Quis enim poterit habitare de vobis cum igne devorante?* *Quis habitavit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* ( Isa. 13. ) Tûne, fili? experire, & ante ferales orci nuptias ins eluctabilem animo ac mente desponde rugum, imitare scævolam Christianum , dico Martianum, ( Sur. Febr. 13. ) & injectâ in ignes manu dic animæ, dic corpori tuo: Poteris in æternum uri ?

§. 4. *Factura gloriae celestis.*

Vis adhuc amplius ? ita, æterno amplius.

B 2

Quid

Quid? Deum quem perdis, Cælum quo ex-  
cidis, Angelos, Beatos, beatitudinem ipsam :  
tuam, si non peccasses; æternam, si momen-  
to non posthabuisses. O qualem luctum,  
cùm hæc in oculis quondam erunt! Egóne  
infelix mercator parvo immensa, caduco  
æterna, instabili certa atque mansura post-  
posui? itáne est? Deo caremus, summo bo-  
no? JESU meo, & Matre JESU, & omnibus  
bonis? Gaudia illa immensa, quæ præparavit  
Deus diligentibus se, mea non sunt? nec vi-  
debo unquam; aut si videbo, tantùm ut a-  
missa doleam? O *infernum*, inquit Chry-  
sostomus, *inferno acerbiorem!* nam, cùm tan-  
ta sit in nobis privatio boni, quantum ipsum  
bonum quod perditur; summum id malum  
esse oportet, quo sit jaætura summi boni, hoc  
est, Dei. O te pœnâ divitem! qui uno mo-  
mento & summum acquiras gehennæ ma-  
lum, & summum amittas æternæ beatitudi-  
nis bonum, utroque miseriimus;

§. §. *Peccato est impar omnis pœna.*

Horres in suppliciis; ego in suppicio-  
rum causis, Credésne? non sævitur in in-  
ferno, sed parcitur. Minor est pœna quâm  
culpa, æternitas quâm inomentum. Ita est.  
Nec inferi, nec cælum explent. Stupes? stu-  
peo ego stuporem tuum. Audi, in quo ex-  
hor-